

V. *De Uso Corticis Peruviani ad Gangrenam & Sphacelum, a Johanne Shipton, Chirurgo Londonensi.*

D. Rushworth, Chirurgus Northamptoniensis, literis ad Societatem Chirurgorum Londinensium datis, Octob. 18, 1731, se ad virum vocatum fuisse narrat, cui sphacelus pedis ex interna causa cum febre vehementi & pulsu inordinato ad ossa usque progressus fuerat: atque huic primo ope scarificationum profundarum & usitatorum remediorum sphacelum cohibitum, febre leniore facta, pulsu quietiore, & pure ad margines ulceris apparente; deinde iterum & tertio recrudescentem & latius serpentem eadem methodo restrictum fuisse; tandem Cortice Peruviiano in usum, dum febris remitteret, vocato, febrem & sphacelum extincta penitus fuisse, ægrumque crure abscisso sanum & valentem multis annis vixisse testatur; idemque se aliquoties ab eo tempore expertum esse confirmat. Literis hisce Ds. Amyand, Chirurg. Reg. & Societ. Chirurg. Londin. tunc temporis Magister respondit, Jul. 29, 1732, se jam ad exemplum Rushworthi Cortice Peruviiano septies cum successu in spacelo usum fuisse, & speciatim in viro 78 annorum, cui sphacelus pedis ex phlegmone obvenerat, isque dum quotidie procederet latius, post 24 horas a cortice exhibito partes emortuæ separari, pusque laudabile apparere incipiebant: in alio item, cui sphacelus opem remediorum vulgarium

um per tres septimanas repudiabat ; ut & in tertio, ubi sphacelus puncturis crurum propter hydropem factis superveniens corticis vires sensit, malo intra diem unum cohibito, licet æger immedicabili ictero obfessus, morboque & remediis exinanientibus exhaustus, gangræna crus alterum occupante, fato cef- sit : exque his omnibus corticem Peruvianum non minus certum esse remedium ad sphacelum ex causa interna quacunque sanandum, vel certe ad eundem cohibendum, quam ad febres intermittentes profi- gandas, fatis constare arbitrari se profitetur.

Præter ista notari etiam merentur literæ D. Joan. Douglas Chirurgi ad eundem D. Rushworth, Jul. 5, 1732, missæ (quod etiam postea peculiari scripto ad id edito fusius prosequitur) quibus se ad virum quin- quagenarium, sphacelo pedis ab interna causa labo- rantium vocatum, fuisse refert : ubi postquam scarifi- cationes, alexipharmacæ intus & extra adhibita, alia- que usitata præsidia per aliquod tempus frustranea fuissent, morbo quotidie serpente, usu tandem Cor- ticis Peruviani, quem D. Dickins Chirurg. Reg. cum D. Cheselden Chirурgo in consilium adhibitus per- suaserat experiri, sphaceli progressus statim repressus est, febris mitior facta, brevique putridæ omnes partes, tendines scil. ligamenta, & ossa omnia pe- dis, metatarsi, & tarsi sponte abscesserunt, ægro con- valefciente.

Hæc omnia Anglice scripta & in unum congesta pro benevolo ad publica commoda promovenda animo libello minusculo inclusit, ediditque D. Rush- worth : quæ ne intercidant, & in oblivionem ve- niant, ut contingere iis, quæ brevibus chartis de- scripta circumferuntur, vulgo solet, utque exteri, qui

qui Corticis Peruviani usum in febris intermittentibus ob, nescio quæ, obventura vel subventura mala formidant, hoc saltem casu, quo nihil gravius accidere potest, ad eum experiendum animentur ; paucis eadem complecti, & Latine exhibere, eaque quæ mihi nuper in ejusdem remedii usu obtigerunt, sub-jungere placuit.

Ante annum fere ad virum quinquagenarium, cui ex liberaliori Bacchi usu, indeque orta cachexia phlegmone pedis in sphacelum digitorum & metatarsi mutata erat, vocatus sum. Is, licet plurima alexipharmacæ, aliaque ad id malum facientia, interna & externa, per plures dies a D. Dodd, M. D. & Chirurgis DD. Holloway & Green adhibita fuerant, quotidie latius & profundius serperat, cum febre potius lenta quam ullo modo vehementi & diabete spurio, seu copiosiori urinæ limpidioris profluvio. Hisce omnibus evincendis, cum præsertim urinæ quantitas aucta astrictorias corticis Peruviani vires exposcere videretur, & experimenta DD. Rushworth & Amyand successum pollicerentur, ejus usum Medico & Chirurgis tentandum proposui : qui cum membra exstirpationem nihil valitaram satis scirent, abunde ex pluribus tentaminibus infeliciter factis edocti, aliaque frustra usurpassent, facile manus dererunt. Is vero cum ad 3ij quarta quaque hora per aliquot dies datus fuisset, nihil aut ad diabeten, aut ad sphacelum conferre visus est ; sed per illum humido vitali exhausto, per hunc carne continue latius absymta, ægrotus intra duas fere septimanas mortem obiit.

Feliciorem eventum nuper habuit corticis usus in viro 35 circiter annorum, temperamenti melancholico-

lico-scorbutici ; qui, dum ex sclopeto aucupatorio pulverem pyrium eximeret, idque cum manus dextræ vola incautius ori ejus apposita esset, displodetur, vulnus per medium palmam indicisque & pollicis intercapedinem porrectum, amplum & profundum, cum vasorum & tendinum laceratione passus est, quod statim in pago urbi propinquo, ubi tum erat, hæmorrhagia largiore cohibita, deligatum erat. Per aliquot dies gravis dolor cum tumore magno & inflammatione digitos omnes præter pollicem, totamque manum & brachium obsedit, neque quam ex vulnere præter ichoris copiam, primo sanguinolenti, deinde fusti coloris cum foetore aliquali prodiit ; vulnus etiam ipsum subnigrum latius indies patebat, tumorque & inflammatio cum dolore vix diminutus est, licet usitata ad ejusmodi vulnera remedia usurpata fuissent. Undecimo autem die sanguis ad uncias aliquot intra spatum nycthemeri quartæ sponte sua fluxit, qui bis sponte etiam stetit, bis autem adhibito Sp. terebinthinæ manusque pressione restrictus est, & margines vulneris sphacelo conspicuè occupari videbantur. Cum igitur nihil jam restare videretur præter usum ferri igniti ad hæmorrhagiam sistendam, simulque sphaceli progressum cohibendum, quando illa fomenta & cataplasmata, hic fasciarum strictroram repudiaret, sin autem cauterium nihil proficeret, ad manus amputationem deveniendum esset, quæ quam anceps in hujusmodi corporis temperamento remedium foret, experientia satis testatur ; ad utrumque pariter inhibendum Corticis Peruviani vires, cuius feliciter exhibiti testimonia plura tum audiveram, experiri hic etiam placuit. Duodecimo igitur die eis corticis mane exhibiti sunt ; &

quarta quaque hora repetiti ; ex quo, sequenti mane, cum jam ejus unciæ dimidium hauiisset, dolorem plurimum mitigatum, tumoremque manus valde immutum inveni, puris etiam aliquantum circa vulneris margines & intra fascias conpectum, limbaque undique, qui pridie ex sphacelo niger erat, iam separari incipere visus est : febris quoque, quæ toto prius tempore minime gravis, satis tamen sensibili, cum hæmorrhagia incrementum sumserat, in totum quieverat, urina sedimentum paucum, quod lutosi potius aut albo-flavescentis quam lateritii vel rosacei coloris erat, deponente. Corticis uts eodem modo per duos dies continuatus erat, deinde per duos amplius dies ter quotidie sumtus, tum per tres alios dies bis duntaxat in die, adeo ut intra septimanam unam duæ ejus unciæ datae fuerant.

Interea tumor & inflammatio omnis evanuerunt, pus purum manabat, caro succrescebat, & dolor, qui tamen inter movendum satis gravis in carpo adhuc restabat, plurimum immunitus fuit. Per tres deinde septimanas omnia bene se habebant, excepto quod rheumatico-arthriticus affectus, quo alias hymene laborare solebat, nunc pedem, nunc acromion & scapulam unam vel ambas, cum tumore, invasit ; febre interim vacuus erat, & appetitu ad ea, quæ permissa erant, valens. Deinde vero, Dec. 19, stomachus imbecillior fieri, dolor metacarpi cum tumore major, quæ cum sequenti die augmentum sumere visa essent, tertio die pulsus aliquantum celerior factus est, & tumor metacarpi cum inflammatione abscessum minabatur, vulnere interim palmæ pus album & æquale, ut antea, fundente. Quarto autem die vulneris oræ vesiculis tumidæ, ad gangrænam

nam tendere, cum copioso saniei sine ullo pure effluxu, manusque tota & carpus tumore inflammatorio & gravissimo dolore obsideri. Cortice igitur eodem, ut prius, modo exhibito, intra octo horas. cum vix tres ejus doses haussisset, dolor, qui antea acerbissimus erat, quasi incantamento lenitus est, & sequenti deligatiōne tumor manus dimidio subsedisse, & pus laudabile manare videbatur. Urina primo satis intensi erat ruboris, deinde paulatim dilutior evasit, nullo, vel paucissimo sedimento. Deinceps, ut præcaveretur recidiva, corticis unciam dimidiā singulis septimānis ad sextam usque exhibui, scrupulis duobus per triduum bis quotidie datis, finemque quarto demum mense laboriosæ huic curationi, qua tendines omnes muscularum perforati & perforantis, præter eos, qui minimo digito inserviunt abscesserant, os etiam unum ex iis, quæ metacarpum, aliud eorum, quæ carpum constituunt, nudatum erat, abscessusque unus & alter dorso manus orti, finem imposui.

Ex historiis hisce, & præsertim ex ultima, satis constare existimo, nihil hic sociatis aliorum medicamentorum virtutibus, nihil peculiari humorum diathesi, aut incognitæ cuidam idiosyncrasiaæ, nihil spontaneæ symptomatum remissioni, nihil fortuitæ Crisi, & salutari per alias secretiones expurgationi, casui denique nihil imputandum, sed successum omnem corticis folius viribus unice tribuendum esse.

Licet autem in historiis memoratis corticis pulvrem duntaxat se in usum duxisse omnes referant, si quis tamen aut stomacho imbecilli consulturus, aut ex alia ratione, ipsum ea forma exhibere refugit; vix dubitarem resinam ejusdem aut extractum dimidia quantitate datum eundem effectum præstiturum, cum

ad febres intermittertes, ubi præcipua ejus virtus enitescit, præparata ejusmodi corticis idem cum ipso valere quotidie videamus.

Quod si quis ex historia prima a D. Rushworth memorata, qui corticem, dum febris aderat continua, exhibere timuit, & remissionem exspectavit, febrem intermittertem in omnibus, qui citantur, ægrotis, latuisse contendat, adeoque nihil esse miri, si cortex ab hoste intra pomæria sua deprehenso victoriam reportaverit ; huic reponere liceat, nihil ejusmodi in pluribus, imo contrarium plane in quibusdam, observatum, ut testantur satis idonei talium symptomatum judices ; in ultima autem historia, ubi ipse ut potui, ad omnia attentus eram, nihil me notasse latentis alicujus typi, aut febris præter solitum, eumque lentum, tenorem obsidentis, quodque vel ad continentem aliquam, multo minus ad intermittertem pertineret, nihil febrilis in urina sedimenti, nihil insoliti caloris, aut sitis, aut rigoris in una præcipue diei parte, nihil ariditatis vel nigritiei linguæ confirmare possum ; & si rem vere reputemus, febrem, quæcunque aderat, solum fuisse symptomaticam in, veniemus, quæ secundum veterum medicorum placa (nec recentiores abnuunt, & ex re ipsa patet) intermittens esse nullo modo potest. Et quod ad hoc argumentum præcipue spectat, vires scil. corticis in sphacelo sistendo non ex febre quadam intermitterente, & latente profliganda in actum duci, dum hæc scribo, ad manus affertur scriptum nuper editum D. Bradley Chirurgi Londinensis, qui ad calcem responsi ad inconditum quendam medicamentarium fasciculum D. Dover, eundem felicem eventum habuisse corticis usum narrat in fœmina cathectica

chechtica & leucophlegmatica ; cui cum vulnus am-
plum & transversum superiore cruris parte ex casu
contigisset, tertioque die febris vehemens cum pulsu
frequenti & intermittente, lingua arida & nigra,
aspe&tu torvo, & mente aliquatenus emota, superve-
nisset, gangrænaque interea totum fere crus occu-
passet, usu corticis quarta quaque hora exhibiti intra
nycthemeri spatium gangrænam cohibitam, aliaque
symptomata evanuisse ; quinto autem die, corticis
usu intermisso, omnia iterum reversa eodemque
rursus sumpto sedata fuisse, & ægrotam convalescisse
memorat.

Ex hac historia, ut & quibusdam e supra memo-
ratis, apparet, non solum corticem, dum febris ad-
est, exhiberi tuto & cum successu posse interdum,
sed etiam febrem fortasse hujusmodi symptomaticam
non esse e genere putridarum vulgarium, quæ etiam
ideo a quibusdam scriptoribus medicis ad suum pe-
culiare genus refertur, vel earum, quæ in intermit-
tententes facessere sperantur ; cum ad eas omnes usum
corticis plerumque noxiū, interdum lethalem obser-
vant medici, in hac autem salutarem fuisse evincunt
facta a pluribus experimenta : sed hæc a Medicis ul-
terius expendenda.

Præterea ex historiis allatis notari meretur, quod
licet in quibusdam proximam gangrænæ causam vul-
nera dederint, in omnibus tamen primam & præci-
puam ex statu & conditione humorum desumendam
videri ; adeoque remedia intus exhibita quam ea,
quæ extra applicari solent, citius & securius scopum
attigisse.

Istæ, quas supra exhibui, sunt, quantum novi, om-
nes, quotquot de usu corticis ad hujusmodi morbos
ha&genus

hactenus editæ fuerunt, observationes ; quibus plures sine dubio quotidie ex praxi Chirurgorum hujus Urbis (quasdam ipse nuper ab aliis accepi) addi poterunt ; quas si eodem successu probari plerumque contigerit, quid obstat, quo minus hunc ejusdem usum ad periculosissimum & fere immedicabilem affectum ambabus ulnis amplectamur, ejusque repertorem omni laude & præconio dignum judicemus ?

Si ultra progredi vellem, & ad plures, quas in se cortex continet, virtutes digitum intendere liceret (quamvis ex eorum numero esse me minime optarem, qui cogitata sua fusque deque per omnia versant, & quæ vigilantes somniant, in experimenta de vita & valetudine aliorum perduci cupiunt) cum quantum ad hæmorrhagias narium, pulmonum, cæterarumque partium, per quas sanguis e corpore eliminari potest, valeat, abunde Medicis notum sit ; ejusdem etiam vires ad sanguinis fluxum in externis vulneribus sistendum, ubi ex nimia illius tenuitate aut acredine vasa coire respuunt, Chirurgis ex propria experientia commendare possum ; nec minus ad nimias excrementiorum, vel etiam aliorum præter sanguinem utilium succorum evacuationes eundem plurimum valere saepius deprehendi.

Qualem effectum præstare poterit mirabilis hicce cortex in ulceribus quibusdam pessimi moris, quæ Nomæ & Phagedænæ Chirurgis appellantur, & fortasse in herpetibus malignis, experientia destitutus nihil affirmare audeo ; hoc tantum monuisse contentus, argumento ab analogia ducto, cum gangræna & sphacelus ulcera sint putrida & depascentia, illum non minus interdum fortasse efficere posse in aliis ejus generis affectibus : quod tamen non sine prævia corporis

ris totius cura, re & tempore plerumque id in hisce concedente, quod in sphacelo fecus est, & respectu ad universum corpus habito, nec sine Medici docti & prudentis consilio aggrediendum autunarem. Atque hoc modo memorando illi Hipp. l. de Arte initio, monito obtemperare, juvabit. “ Mihi vero invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa sunt, quod ipsum notum, quam occultum esse præstet, scientiæ votum ac opus esse videtur: similiterque & semiperfecta ad finem perducere & absolvere. “ At vero verborum in honestorum arte ad ea, quæ ab aliis inventa sunt, confundenda promptum esse, nihil quidem corrigendo, eorum vero, qui aliquid sciunt, inventa apud ignaros columnando; non sane scientiæ votum aut opus esse videtur, sed proditio magis naturæ suæ, & ignorantia artis.

Ut paucis igitur absolvam, quas supra attuli, historiæ non otiosorum cerebrorum sunt figimenta, non anicularum deliramenta, non rudis plebeculæ jactationes, non ex hypothesi aliqua structæ narrationes, neque etiam Empiricorum de arcanis suis venditatio-nes; sed plurium in arte magistrorum fidelis experientia; quæ ab uno vel forte, vel industria, vel inge-nio & sagacitate primum excogitata, aliisque in com-munem utilitatem transmissa, a quamplurimis uno ore consentientibus minime fallax comprobata est: adeo ut quod hoc pacto in varia ætate, sexu, corporis temperamento, & vita conditione, valere repertum est, in posterum eodem modo valitum vix dubitan-dum sit, secundum verissimum illud Ciceronis effa-tum; “ Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.”